



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 3. Quid concreta in Recto importent, quid in Obliquo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

tus. R. Quid tum? Si ais. Denominativa, & concreta differunt definitionibus; ergo denominativa nequeunt esse concreta. R. D. ant. Differunt definitionibus objectivis. N. formalibus. C. Etiam *substantia & vivens* in homine differunt definitionibus, & tamen realiter, ac objectivè sunt idem.

§. III.

Quid concreta in Recto importent, quid in Obliquo?

367. *Nota 1.* Terminus ille importatur in *Recto*, qui exprimitur in nominativo casu, vel *formaliter*, ut si dicam: *Petrus est homo*; vel *æquivalenter*, ut in hâc propositione: *Materia cum forma debite applicatâ constituit compositum*; in qua propositione etiam *τὸ cum forma &c.* *Rectus* dici potest, quia æquivalet *Recto*, & æquè sic dici potuisset: *Materia, & forma &c. constituunt compositum.* Terminus autem importatur in *Obliquo*, qui exprimitur in aliquo alio casu, ut *τὸ Sempronii* in hâc propositione: *Filius Sempronii mortuus est.* Hic advertendum, quòd à parte rei nec *Rectus*, nec *Obliquus* datur *formaliter*; cum formaliter proveniant à nostris conceptibus, dum rem quampiam concipimus ut *aliquid per se stans*, & ideò per nominativum exprimimus: Aliam verò concipimus ut *aliquid adjacens*, seu *adveniens*, & hinc eam per obliquum indicamus. Datur tamen & *Rectus*, & *Obliquus* à parte rei *fundamentaliter*, h. e. datur à parte rei in ipsis rebus funda-

da-

damentum, sive ratio, propter quam res aliqua in recto; alia verò in obliquo importari meretur. Consistit autem fundamentum hoc in connexionione rei unius cum alia, sive hæc connexio sit identitas realis, aut ficta, sive sit unio physica, aut moralis, sive relatio realis, vel rationis; ex qua fit, ut, dum res una per se attingitur & ratione sui, simul attingatur & altera, ad priorem pertinens, & cum illa connexa. E. g. in hæc propositione: *Petrus est doctus*, prædicatum significat duo, scilicet *Rem habentem*, sive subjectum doctrinæ, & ipsam *Doctrinam*; ita tamen, ut *Res habens* affirmetur de Petro per se; *Doctrina* autem concomitanter, & in obliquo propter connexionem cum Petro, quæ per datam prædicationem significatur. Hinc propositio hæc sic resolvenda est: *Petrus est res habens doctrinam*.

368. *Nota 2.* Concretum sumi potest vel specificativè, vel reduplicativè. *Specificativè*, sive *materialiter* aut *denominativè* sumitur, quando illi in propositione prædicatum tantum ratione significati materialis tribuitur; ut si dicam: *Album est dulce*, τὸ *Album* specificativè sumitur, quia τὸ *Dulce* non prædicatur de albo ratione formæ, sive albedinis, sed ratione significati materialis, i. e. ratione illius quod est album, ita, ut sensus sit: *Id (scilicet Lac, vel Saccharum) quod est album, est dulce*. Hinc colliges, signum, quòd concretum sumatur specificativè, esse hoc: si in expositione propositionis adhibendum sit Relativum
qui,

qui, quæ, quod. Reduplicativè concretum sumitur, quando per particulas reduplicantes (quales sunt *ut, prout, quâ, quantum* &c.) illud designatur, ratione cujus prædicatum specialiter convenit subiecto. v. g. *Ignis ut calidus urit, Album quâ dulce sapit.* Quibus loquendi modis indicamus, cur ignis urat, nimirum quia calidus, & cur album sapiat, nempe quia dulce. Quoniam verò ipsæ etiam particulae reduplicantes in sensu specificativo quandoque usurpantur; hinc ad dignoscendam reduplicationem strictè talem Haunoldus in *Log. Pract. p. 1. cap. 1.* tradit sequentes regulas. *Prima est.* Particula reduplicans habet sensum reduplicativum, sive designat rationem, propter quam prædicatum subiecto conveniat, quando prædicatum vel ad conceptum, vel saltem ad integritatem illius pertinet, quod reduplicatur; v. g. *Christus, quâ homo, est rationalis,* in qua prædicatione *to Rationale* est de conceptu hominis. Vel *Christus, quâ homo, habet manus, pedes;* ubi *pedes, manus* ad integritatem hominis pertinent. Proinde sensus harum propositionum est: *Humanitas Christi est rationalis; Humanitas Christi habet pedes* &c. *Secunda regula est.* Particula reduplicans habet sensum reduplicativum, si id, quod reduplicatur, est causa, vel radix prædicati; v. g. *Homo quâ Logicus artificialiter discurrit. Homo in quantum rationalis videt.* Huc etiam spectant illæ propositiones, in quibus particula reduplicativa designat solam conditionem; v. g. *Ignis*

ut *approximatus urit*. Item illæ, in quibus particula reduplicans denotat rationem *sub qua*; v. g. *Operationes mentis quæ dirigibiles sunt obiectum materiale Logicæ*. Item illæ, in quibus reduplicatio significat motivum; v. g. *Deus quæ bonus amatur*. Tertia regula est Particula reduplicativa sensum specificativum habere potest, quando designat tantum non repugnantiam prædicati cum subiecto, ut si dicam: *Homo quæ justus venialiter peccare potest*; ubi sensus non est hic: *Iustitia hominis peccare potest*; sed hic: *Iustus homo peccare potest, quin perdat iustitiam*. Porro particula reduplicativa sensum specificativum habet, quando prædicatum subiecto non convenit simpliciter, sed tantum secundum quid, vel saltem accidentaliter duntaxat. v. g. *Æthiops in quantum dentatus est albus*: *Christus quæ homo est albus, vel vestitus &c.*

369 Dico 1. Concretum, si *specificativè*, aut *denominativè* sumatur, in recto dicit id, quod in ejus resolutione se habet per modum recipientis, sive stantis & habentis; in obliquo verò importat id, quod se habet per modum recepti, habiti, aut advenientis, quod significatur aliquo modo connexum cum eo, cum quo fit identificatio. v. g. Hæc propositio: *Corvus est niger*, sic resolvitur: *Corvus est res habens nigredinem*; in qua resolutione *Res habens* tanquam aliquid recipiens importatur in recto: *Nigredo* verò utpote receptum importatur in obliquo, & non identificatur cum corvo;

vo ; sed per prædicatum significatur connecti aliquo modo , & pertinere ad rem habentem. *Ratio est* , quia ad id , quod se habet per modum stantis , aut substrati , primò & per se cognitio terminatur ; id quod significare recti est. Illud verò , quod se habet per modum advenientis , dicitur terminare intuitum mentis obliquum , consequenter exprimitur per obliquos , quorum est rem significare ut alteri adjacentem.

370. *Ex his inferes* , quòd concreta tum accidentalia , tum substantialia , sive substantiva sint , sive adjectiva , si sumantur *specificativè* , in recto importent subiectum , in obliquo formam , *saltem in purè creatis*. Hinc concreta hæc : *Album , Rationale , Homo &c.* Sic resolves : *Res habens albedinem , Res habens rationalitatem , Res habens humanitatem. &c.* Si dicas 1 , quòd *rationalitas , & humanitas* realiter veniant in recto ; R. Veniunt quidem realiter in recto , sed ut subiecta , non autem ut formæ , cum sint tantum formæ metaphysicæ. Verum proinde manet , quod subiecta in his etiam concretis veniant in recto , formæ autem in obliquo. Eodem modo hoc concretum , *Deus* , resolves sic : *Res habens Deitatem*. Licet enim Deitas realiter sit ipse Deus , cum in Deo compositio realis implicet ; tamen non est ipse Deus formaliter , ex supposito , quod compositionem rationis in Deo admittas. Si verò & hanc in Deo negare velis , Deus tamen terminus concretus manet , non quidem se-

cundum rem significatam; sed secundum modum significandi; quandoquidem τὸ *Deus* non significat per modum formæ, sicut τὸ *Deitas*. Si dicas 2, quod *Humanitas* significet compositum ex corpore & anima, adeoque sit terminus concretus. & Licet significet compositum, i. e. rem compositam; non tamen significat modo composito. Adhæc τὸ *Homo* non ideo terminus concretus est, quia compositum ex corpore & anima significat; sed ideo, quia significatum ejus metaphysicum est *humanitas*; vel certe ideo, quia in consideratione physica in recto dicit naturam, ut subjectum, in obliquo subsistentiam, ut formam.

371. Dixi supra, *saltem in purè creatis*. Quamvis enim conclusio n. 369. posita de concretis etiam non purè creatis intelligi possit; Philosophus tamen consultius ea, quæ ad mysterium Trinitatis, & Incarnationis spectant, Theologis enucleatius discutienda relinquit. Ut tamen advertas, quid in ejusmodi concretis juxta citatam conclusionem importetur in recto, & quid in obliquo, propositiones quasdam unà cum suis resolutionibus subjungo. 1^a est: *Deus est unus*. Hanc sic resolves: *Natura divina habens tres personalitates est una*. 2^a est: *Deus est Trinus*. Hæc sic resolvitur: *Personalitates habentes naturam divinam sunt tres*. 3^a est: *Deus est homo*. Hæc resolvenda est in hunc modum: *Suppositum habens Deitatem est suppositum habens humanitatem &c.* In his resolutionibus vides, jam naturam, jam sup-

suppositum importari in recto, prout nimirum jam hæc, jam illud se habet per modum stantis, vel habentis, id quod colligitur ex ratione formali, propter quam in ejusmodi propositionibus prædicatum convenit subjecto. Ita ferè Arriaga, Joan. de Benedictis, Casilius &c.

372. *Dico 2.* In concreto *reduplicativè* sumpto illud importatur in recto, quod per particulam reduplicantem volumus expressius designare tanquam illud, propter quod prædicatum subjecto convenit. Hinc fieri potest, ut modò subjectum, modò forma, modò utrumque significetur in recto, prout nimirum exigat propositionis veritas. Ecce tibi exempla. 1. Si dico: *Bonum ut cognitum amatur*, in recto importatur subjectum; nam cognitio non est id, quod amatur; sed per reduplicationem solum indicatur, quòd bonum, ut ametur, cognosci debeat. 2. Dum dico: *Peccatum ut agnitum placet Deo, Album ut album disgregat visum*, in recto importatur forma; nam non placet Deo ipsum peccatum, quod agnoscitur, nec subjectum albedinis disgregat visum; sed Deo placet agnitio, & visum disgregat albedo. 3. Dum dico: *Album ut album est compositum accidentale*, & subjectum & forma importatur in recto; quia nec subjectum solum, nec sola forma est compositum, sed subjectum & forma unita. Econtrà dum dico: *Album ut album est concretum*, in recto importatur subjectum, in obliquo forma, dataque propositio

sic resolvenda est: *Res ut habens albedinem est concretum.* Ex hoc advertes discrimen concretum inter, & compositum: Compositum enim non est sola forma, nec solum subjectum, nec res habens formam; sed est res, & forma unita; quia in recto importat omnes partes suas; concretum verò unum dicit in recto, scilicet subjectum, alterum verò nempe formam in obliquo, id quod est de essentia concreti, prout concretum est, ut inquit Dicastillo *De Sacram. Disp. 1. n. 323.*

373. *Obj.* Concretum indifferens est, ut vel formam vel subjectum in recto dicat; cum nihil exigat subjectum præ forma importari in recto; ergo malè dicitur, quod concretum in recto necessariò dicat subjectum, in obliquo formam. *R. N. ant. cum ejus probat.* Nam veritas propositionum exigat, ut id, quod in resolutione se habet per modum stantis, vel habentis, ponatur in recto; id verò, quod se habet per modum advenientis, vel habiti proferatur in obliquo. Sic ut vera sit hæc propositio: *Pavies est albus*, nequit importari in recto *albedo*, ita, ut sensus sit: *Pavies est albedo*; sed debet importari in recto subjectum, & dici: *Pavies est res habens albedinem.* *Si ais:* Forma non est de essentia concreti; ergo non benè definitur in ordine ad formam. *R. D. ant.* Non est de essentia concreti *materialiter* accepti. *C. Formaliter, & adæquatè spectati. N. Si urgeas:* In hac propositione: *Corvus est niger*, concretum materialiter sumptum est *Corvus*;

us; sed de essentia corvi est forma, sive nigredo; ergo forma est de essentia concreti etiam materialiter accepti. *Prob. min.* Prædicatum in propositione affirmativa vera debet esse idem cum subjecto; ergo pariter nigredo, quæ venit ex parte prædicati, erit idem cum subjecto, & consequenter de ejus essentia. *R. D. ant. probat.* Prædicatum debet esse idem saltem quoad rectum. C. etiam quoad obliquum, qui hîc est nigredo. N.

§. IV.

Quomodo concreta multiplicentur, & de se invicem, nec non de abstractis prædicari possint?

374. *Dico 1.* Concreta multiplicantur multiplicato recto. Ita Authores communiter. *Ratio est*, quia concreta supponunt pro rectis; ergo his multiplicatis, ipsa quoque concreta multiplicari necesse est. Ita *Casil. Summul. lib. 1. cap. 4 n. 24.* *Joan. de Benedictis. lib. 2. cap. 3. sub finem.* Ex his colliges, quòd, si ponerentur *tres albedines* in uno subjecto, non forent *tria alba*; sed subjectum appellandum potius foret *ter album*; quia non multiplicaretur id, pro quo concretum supponit. Econtrà si *eadem albedo* in tribus poneretur subjectis, essent *tria alba*, ob rationem oppositam; quamvis illa tria alba inadæquatè idem essent, nimirum quoad obliquum. Sic pariter Christus est unum tantum concretum, licet duæ sint in eo naturæ; econtrà si tres Personæ divinæ eandem assumerent humanitatem, tres essent ho-